



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

5. De peccato mortali & veniali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

C A P. V.

De Peccato Mortali & Veniali.

Peccatum aliud mortale, dictum sic, quia ob gra-
uitatem sui, gratiam & amicitiam cum Deo so-
luit, pœnamque æternam meretur.

Mortalia ex genere sunt, quæ in Dei iniuriam di-
rectè tendunt, vel cum proximi iniuria, damno; vel
ipsius operantis graui incommodo, contra naturæ
ordinem iuncta sunt: scilicet peccata contra Theo-
logicas virtutes, contra Religionem, iustitiam, Cha-
ritatem proximi, & ad luxuriam pertinentia. Verum
quæ ex genere suo mortalia sunt, per accidens pos-
sunt fieri venialia.

Aliud peccatum est veniale, sic dictum, quia cum
obleuitatem, gratiam & amicitiam cum Deo non
tollat, quamuis feruorem charitatis minuat; neque
æternam sed temporalem pœnam meretur, infirmi-
tatem facile curabilem animæ adfert, veniamque
facile consequitur. De his Sapiens Prov. 24. Septies
in die cadit iustus.

Etsi peccata venialia sint contra legem Dei, non
tamen sunt contra finem legis, quæ est charitas & a-
micitia cum Deo; vel dici potest. Venialia non esse
contra legem Dei præcipuam, & quæ simpliciter ne-
cessaria sit ad salutem.

Peccati mortalis & venialis differentiæ acciden-
tales sunt per se loquendo, vt constat in paruo & ma-
gno furto. Nihilominus tamen mortale differt à ve-
niali essentialiter, nam mortale auertit hominem ab
infinito bono: Veniale autè continet deordinationē

circa

circa ea quæ sunt ad finem illum , ideo infinite distant, & hinc ex venialibus multiplicatis non potest fieri mortale, quia ex finitis nunquam efficitur infinitum.

4 Peccata venialia sunt vel ex genere suo, vel ex materia leuitate, vel ex imperfectione actus.

5 Cum aliquid per se malum non est, sed indifferens, excessus in eius appetitione vsu^{us} est tantum veniale. V. C. excessus in cibo, potu, coniugij vsu, ira, timore, tristitia, &c. nam in his mediocritatem attingere difficile est.

6 In peccatis quibusdam aduersus Deum; vt sunt, odium Dei, infidelitas, periurium assertorium, non reperitur veniale ob paruitatem materiae, quia integratio & tota quantitas deformitatis in eo reperitur, vt videre in Odio Dei: Quicquid enim in Deo oderis, infinitam eius bonitatem odisti.

Mortale ex genere fit veniale ob leuitatem materiae; vt furtum, detractio, quia vbi est parua materia ibi etiam parua culpa oriri potest.

7 Si plurimum transgressionum materiae paruae, neque secundum se, neque secundum Effectum moraliter coalescunt, nunquam efficitur mortale (V. C. si opifex omnibus diebus festis per quadrantem secluso scandalo & contemptu laboreet &c. nunquam mortale) si vero coalescant, tunc vltimæ transgressionis V. C. vltimi furti materia propter connexionem cum antecedentibus, & rei alienae modicæ iniustam detentionem, fit mortale.

8 Qui vouit, se quotidie recitaturum Pater & Ave, ita vt oratio cuiusque diei onus sit, & si toto anno intermitat, peccat semper per se loquendo venialiter. Per accidens tamen, ratione periculi labendi in mortale, potest fieri, vt propolitur mentiri leuiter.

per, modicum tempore ieiunii comedendi, &c. fiat mortale. 68.

OB. Illud Augustini. Minuta plura peccata occidunt, id est, dispositiuê.

In voto reali, puta quotidie dandam paruum elemosynam, censetur vouens se obligare, si vno aut pluribus diebus intermitrat, postea compesaturum, quare in talis voti obligatione mortaliter peccari potest. 9

Si quis violet partem præcepti, ea non omnino absolute, sed cum comparatione ad totum, cuius pars est, prudentis viri iudicio spectanda est; vt intelligatur, sine sufficiens obiectum peccati mortalis. 10

Motus appetitus sensitui circa malum, interdum ante omnem deliberationem rationis excitantur: ideoque dicuntur primò primi, & omni culpa vacant. 11

Motus appetitus sensitui, qui dicuntur secundo primi, sequuntur deliberationem rationis imperfectam, ideoque venialia; vt videre in semiebriis, semidormientibus, irâ & timore perturbatis, vigilantibus. 12

Fieri potest, vt homo ita tristitia absorbeat, vt sine peccato sibi aliquando necem inferat. Ratio est, quia vt consensus moraliter bonus vel malus sit, debet esse rationis superioris, seu mentis, attendentis rationibus æternis honestatis, secundum legem Dei, & non solum rationis inferioris antecedentis, ex motu commoditatis temporalis. 71. 13

NB. Concupiscentia peccatum vocatur, quia peccato facta est, ait Sanctus Augustinus.